Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26934
Copyright: Admont, Benediktinerstift



respondere. Preterea aplica auctoritate statuimus. ut in monasteriis
monialium que uestro regimini commissa noscuntur. decedentibus
abbatissis alie cum consilio et assensu abbatis et fratrum qui eis ne
cessaria prouident. communiter a sororibus eligantur. aut electio ce
lebrata abbati representetur. ut suo assensu et fauore episcopis in quorum
episcopatibus permanent postmodum debeant presentari confirmanda
uel improbanda. Sane si consilio et assensu abbatis et fratrum qui
habent illis necessaria prouidere electionem moniales non fe
cerint. aut electio celebrata abbati tunc uestro representata non fuerint
nulli episcoporum liceat personas electas absque illius representatione benedicere.
Que quidem ipsi abbati uestro obedientiam et subiectionem promittant. Ad
hec presenti decreto sanccimus. ut alicuius monasterii non cogami
ni regimen uel administrationem in perpetuum recipere nisi plenam
facultatem habueritis ipsum monasterium secundum statuta uestri ordi
nis disponendi pariter et gubernandi. Obeunte uero te nunc
eiusdem loci abbate uel tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet
surreptionis astucia seu uiolentia preponatur. nisi quem fratres com
muni consensu uel pars consilii sanioris secundum timorem dei et
beati benedicti regulam. preuiderint eligendum. Decernimus ergo ut nulli
omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare.
aut eius possessiones auferre uel ablatas retinere. minuere
seu quibuslibet uexationibus fatigare. sed illibata omnia et in
tegra conseruentur. eorum pro quorum gubernatione et sustentatione
concessa sunt. usibus omnimodis profuturum. salua sal et purgensis
archiepiscopi canonica reuerentia. Cui tamen omnino non liceat ei uexa
tionem aliquam seu indebitam exactionem uel consuetudinem que